

(33. Hæc de absolutione ab excommunicatione lata *ab homine*. Quoad vero excommunicationem a *Jure* latam, hæc Regula communiter statuitur; « Si Pontifex, aut Conditor Canonis, ejus absolutionem specialiter non reservaverit, absolvi unusquisque poterit a proprio Episcopo; immo et a proprio Sacerdote: » Cap. *Nuper de Sentent. Excomm.*

Nomine Episcopi, observante Suar. *de Censur.* disp. 5. sect. 3. intelligitur Episcopus proprie Excommunicati; item qui in Episcopalem jurisdictionem succedit. Vagabundos vero absolvere potest Episcopus Loci, in quo actu habitant; Zoel. in *Decretal.* lib. 5. tit. 39. num. 164.

(34. Nomine proprii Sacerdotis, notante eodem Auctore ubi supra, venit proprius Parochus Excommunicati. Et ratione vero mox citatæ decretalis venit quilibet Presbyter habens auctoritatem absolvendi, approbatus scilicet a suo Ordinario tamquam Minister Sacramenti Pœnitentiæ a peccatis mortalibus, præsertim quia, ut monet laudatus Auctor d. disp. 7. sect. 4, quatenus munus illud exercent Presbyteri, subeunt vices, et munus proprii Parochi. De absolutione ad cautelam vide Vanespen. *Juris Eccles. univ.* part. 3. tit. 11. c. 11. § 16 et plur. seq.

ARTICULUS VIII.

Absolutio pro Foro conscientie an prodesse possit etiam pro Foro externo?

(1. Absolutus in Foro interno ab Excommunicatione, si non fuerit nominatim Excommunicatus, non tenetur se gerere in Foro externo tamquam Excommunicatus, præsertim si constet ita esse absolutum, quia illa absolutio valet ad omnia, præterquam in judicio, ubi lis movetur; Lessius in Auctor. *v. Absolut.* cas. 8. Krimer. num. 1848. Claudius la Croix lib. 7. *de Censuris*, num. 154. et alii passim. (2. Absolutus in Foro conscientie ab Excommunicatione occulta, potest in Foro externo etiam publice habere omnem communionem in divinis, et politicis, Missam publice celebrare, et alia hujusmodi. (3. Si vero Excommunicatio, a qua fuit in Foro tantum interno absolutus, sit notoria et publica, poterit tantum in occulto celebrare, et alia per Excommunicationem prohibita agere, si absit omne scandalum; ad evitandum enim scandalum, si ejus Excommunicatio fuerit notoria, quandiu de legitima ejus absolutione publice non constat, debet se gerere in Foro externo tamquam Excommunicatus, et se publice abstinere ab omnibus, quæ Excommunicatis interduntur; Layman. lib. 1. tract. 5. p. 1. c. 7. n. 7. Avila *de Censur.* p. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 12. Navarr. lib. 2. cons. ultim. *de Judic.* n. 7. Reiffenstuel. in *Jus canon.* lib. 5. Decret. tit. 29. § 8. num. 247 et 248. Claudius, Henriquez, et alii.

(4. Absolutus in foro conscientie tantum, si ejus crimen deferatur ad Judicem, licet non indigeat nova absolutione, potest tamen adhuc urgeri a Judice, qui potest contra

eum procedere, donec etiam in foro externo absolutionem obtineat, plures declaravit Sac. Congr. per sequentia, et similia verba: « Non prohibetur Episcopus, vel alius Superior, affigere Cedulones, et punire Excommunicatum, licet fuerit in Foro conscientie absolutus, vel cum Brevi Sacræ Pœnitentiariæ, vel cum Bulla Cruciatæ, aut Jubilæi, vel in vim cap. *Liceat*, sess. 24. Concil. Trident. vel alio quocunque modo, quia isti duo Fori sunt separati, et actum in uno, non adfert præjudicium in altero. Potest tamen Judex Ecclesiasticus absolutionem in Foro conscientie datam, etiam pro Foro exteriori ratam habere, nisi hoc redundet in præjudicium partis. » In Compsana 14 Junii 1591. et in Oppiden. 8 Jan. 1621. et in Milet. 30 Sept. 1622.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(5. Distinctio in subjecta materia recepta, hæc est. Si in Bulla Jubilæi, vel alia quavis absolute detur facultas absolvendi a censuris, valet absolutio in utroque Foro. (6. Sin autem facultas hæc detur, prout dari ut plurimum solet, in *Foro conscientie regulariter*, non prodest pro Foro exteriori. (7. Dico *regulariter*, nam si quis ob debitum, seu damnum, injuriam, vel contumaciam manifestam, fuerit a Judice excommunicatus, et nominatim declaratus seu denunciatus, et satisfacta Parte absolvatur a Confessario vi Bullæ Jubilæi, vel similis, censetur absolutus etiam in Foro exteriori, ut tenent quam plures Doctores relati a Bossio *de Jubilæo* sect. 1. cas. 25. per tot. (8. qui sententiam hanc probat quibusdam declarationibus S. Pii V. et Gregorii XIII. (9. Quomodo vero constare debeat de satisfactione Patris, tum de absolutione tradit idem Auctor dict. sect. 1. seq. cas. 26.

ARTICULUS IX.

Excommunicati quinam vitandi sint? in quibus, et qualiter vitari debeant?

(1. Jure antiquo omnes Excommunicati erant vitandi, cum hac differentia, quod illi, quorum Excommunicatio erat publice nota, publice etiam erant vitandi, et illi quorum Excommunicatio erat occulta, occulte etiam et privatim tantum erant vitandi ab iis, qui eam Excommunicationem notam habebant, uti patet ex cap. *Cum non ab homine* 14 *de Sent. excomm.* (2. Jure novo post Concilium Constantiense celebratum circa annum 1414, et confirmatum a Martino V, sunt solum vitandi, qui sunt specialiter Excommunicati, et nominatim quoad personam a Judice Ecclesiastico publice sunt denunciati, vel sunt notorii percussores Clerici, et per hoc Excommunicationi Canonis *Si quis suadente diabolo*, etc. subjecti, ut clare patet ex Constit. ipsius Martini V, incipien. *Ad vitanda animarum pericula*, etc. (3. Nec officit quod per Concilium Basileense, quod est posterius Constantiensi, et Martino V, præcipiantur vitari non solum notorii Clericorum percussores, sed etiam quicunque alii

Excommunicati; quia dictum Concilium Basileense ab Eugenio IV fuit revocatum, nec a Sede Apostolica fuit confirmatum, exceptis paucis quibusdam Constitutionibus a Nicolao V. receptis, intra quas non est ea *de vitandis Excommunicatis*. (4. Ultra quam quod consuetudine (quæ est optima Legum interpret, et per se ipsam sufficiens ad legem innovandam) introductum est, ut in dies experimur, ut hæretici notorii, aliique Excommunicati non evitentur, nisi vel nominatim sint denunciati, vel sint notorii percussores Clericorum, et sic, si in hoc valuisset Concilium Basileense, jam ei derogatum fuisset per consuetudinem contrariam legitime præscriptam, ut deducitur ex cap. *fin. de Consuetudine*.

(5. Percussor Clerici tunc dicitur taliter notorius, ut debeat vitari, quando ejus crimen adeo notorie constat, ut non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari, ut statuit Pontifex in cit. Bulla *Ad vitanda*. (6. Sic talis percussor esset vitandus, si per proprium visum, per confessionem rei, per plurium testimonium seu per publicam et constantem famam ita esset notoria percussio, ut nulla tergiversatione posse celari, et ejus malitia excusari. (7. Quod si talis percussio esset occulta, vel percussor posset se defendere, et excusare, quod percussio facta sit causa defensionis, vel ex vehementi passione iræ, in motu primo primi, vel ex joco, aut inadvertentia, vel nesciendo esse Clericum, tunc talis Clerici percussor non esset vitandus, ut clare deducitur ex verbis ipsius Bullæ: « Sine aliquo Juris suffragio accusari possit. »

(8. Casus vero, in quibus vitari debent taliter Excommunicati, reducuntur specialiter ad quinque deductos ex c. *Excommunicatos* 17. caus. 11. quæst. 3. ubi habetur: « Nullus cum Excommunicatis in oratione, aut cibo, et potu, aut osculo communicet, aut Ave eis dicat, quia quicumque in his, vel aliis prohibitis scienter Excommunicatis communicaverit juxta Apostolorum institutionem, et ipse simili Excommunicationi subjacebit; et omnes in hoc vulgato carmine comprehenduntur: »

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

(9. Per ly *Os* intelligitur prohibitus discursus cum Excommunicato, etiamsi fiat per litteras, nutus, internuntium, aut alia signa; sic enim prohibentur oscula, amplexus, et alia hujusmodi signa amicitie, nec non receptio munerum. (10. Per ly *Orare* intelligitur prohibita omnis communicatio in saceris, et orationibus, non enim licet cum Excommunicatis orare, interesse processio-

(1) Si excommunicatus vitandus Ecclesiam ingrediatur dum divina celebrantur officia, monendus est ut abeat. Abire nolens vi compelli potest, modo tamen sic fieri possit, ut nullum grave incommodum, vel scandalum emergat. Tunc enim satius est ut interruptis officiis Populus omnis aufugiat. Veteris Ecclesiæ usum, et praxim fuisse ut excommunicati non expellerentur ab Ecclesia, nisi tempore offertorii, Auctor est Cabassutius in *Theoria*, et

nibus, Missis, et aliis divinis Officiis, nec Missam coram ipsis celebrare. Immo dato quod Excommunicatus vitandus ingrederetur Ecclesiam Missam auditurus, deberet moneri ut exiret, et si nominatim monitus nollet exire, novam Excommunicationem Papæ reservatam incurreret; Clem. 11. *de Sentent. excomm.* et posset per vim expelli. Si vero ratione suæ præpotentiæ nequiret ab Ecclesia expelli, tunc essent omittenda divina Officia, et ipsa Missa, si Sacerdos nondum pervenisset ad Canonem, vel ut alii volunt ad Consecrationem, tunc enim deberet prosequi usque ad summptionem, ac Sacrificium maneret incompletum, et facta summptione Calicis, deberet discedere, et reliqua in Sacristia peragere, vel omittere, si talis locus non adesset. Omnes adstantes autem deberent in tali casu statim ab Ecclesia exire, excepto Ministro Altaris, aliter peccarent participando in Divinis cum Excommunicato vitando, et Excommunicationem saltem minorem incurrerent. (1) (11. Per ly *Vale* interdicitur omnis honorifica, et amica salutatio, verbis, signis, gestu, et manus tactu facta. (12. Per ly *Communio* prohibetur omnis societas cum Excommunicatis vitandis in habitatione, contractibus, judiciis, laboribus, aliisque exercitiis. (13. Per ly *Mensa* prohibetur communicatio in cibo, potuque, non enim licet manducare, et bibere cum Excommunicatis vitandis, etiamsi reperiantur in eodem Collegio, Monasterio et Domo.

(14. Qui in aliquo ex supradictis casibus absque rationabili excusante causa communicat cum excommunicato vitando, peccat, et incurrit Excommunicationem minorem, ex cap. *Excommunicatos* 17. caus. 11. q. 3. (15. Etsi communicet cum ipso cooperando contumaciæ, et crimini, propter quod fuit nominatim Excommunicatus, dando ei auxilium, consilium, aut favorem, præter peccatum mortale, incurrit in Excommunicationem majorem, quia facientem, et consentientem par pena constringit; c. *Nuper* 29. et cap. *Quod in dub.* 30. *de Sentent. excomm.* (16. Communicans cum Excommunicato nominatim a Papa, ac publice denunciato, si est Clericus, incurrit Excommunicationem majorem, si est Laicus solum Excommunicationem minorem, ex cap. *Significavit* 18. *de Sent. Excommunicat.* et ex cap. *Excommunicatos* 17. caus. 11. quæst. 3.

(17. Causæ rationabiles, ob quas licet communicare cum Excommunicatis vitandis, deducuntur ex c. *Quoniam multos* 113. caus. 11, q. 3. et comprehenduntur in hoc vulgato versiculo:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necessè.

praxi juris Canonici lib. 5, c. 41, n. 5. Eo ergo tempore si excommunicatus exire detrectet, nec vi compelli queat, Missa inchoata abrupta est. Quod si Canon esset inceptus, solo manente Ministro debet eam Sacerdos prosequi usque ad Communionem inclusive, et reliqua in Sacristia perficere. Videatur Antoine *Tract. de Censuris* cap. 2. (NOTA ROMANI THEOLOGI.)

(18. Per ly *Utile* intelligitur utilitas notabilis, sive spiritualis, sive corporalis, tam Excommunicati, quam communicantis, propter enim utilitatem spiritualem excommunicati licet cum consiliis, et exhortationibus persuadere ad resipiscentiam, et conversionem, et cum ipso conversari, et libere agere in iis, quæ pertinent ad absolutionem; ex cap. *Cum voluntate* 34. de *Sentent. excomm.* propter autem utilitatem communicantis licet ab eo exigere debitum; c. *Si vere* 34. de *Sent. excomm.* et eum convenire in iudicio; ex cap. *Intelleximus* 7. de *Judiciis*, et ad eum tamquam ad Advocatum, Chirursum, et Medicum recurrere licet, si alius non reperitur, a quo æque utiliter subsidium habere possit; ex cap. *Si vere* 34. de *Sent. excomm.* (19. Per ly *Lex* intelligitur lex matrimonialis, ratione cujus, si unus vel uterque conjux sit Excommunicatus, nihilominus eis licebit conjugii debitum petere, reddere, et in omnibus aliis rebus inter se communicare, ut in gubernatione, et directione domus, in colloquiis, mensa, et hujusmodi; ex c. *Quoniam multos* caus. 11. quæst. 3. et cap. *Inter alia* 31. de *Sent. excomm.* (20. Per ly *Humile* intelligitur humilitas subjectionis, vi cujus liberi cum Parentibus, servi, villici, cum Dominis suis, Religiosi cum suis Prælatibus, Clerici cum Episcopis, et Superioribus suis, et milites cum belli ducibus Excommunicatis possunt communicare; ex cap. *Quoniam multos*, caus. 11. quæst. 3. qua ratione Parentes, Domini, Superiores, Duces, etc. communicare etiam possunt cum suis liberis, servis, etc. (21. Per ly *Res ignorata* intelligitur ignorantia tam juris, quam facti, dummodo non sit affectata, vel crassa, et hujus ratione excusatur a culpa, et censura, qui communicat cum Excommunicato ignorato tali, vel si scit esse Excommunicatum, ignorat eum esse vitandum, ex c. fin. de *Constit.* in 6. (22. Per ly *Necesse* intelligitur omnis necessitas communicandi, tam ex parte Excommunicati, quam communicantis, sive hæc necessitas sit animæ, vel corporis, vel famæ, vel fortunæ, vel obligationis alicujus contractus; cap. *Inter alia*, de *Sent. excomm.* sive talis necessitas oriatur ex violentia, vel metu gravi injuste incusso, vel ex defectu victus, vestitus, medicinæ, consilii, vel cujuscumque auxilii necessarii, ex cap. *Si vere* 34. de *Sent. excomm.* et ex cap. *Quoniam* 103. caus. 11. quæst. 3.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(23. Quæ de effectibus excommunicationis majoris dicta sunt in articulo 6. et in additione, ea de jure antiquo obtinent etiam in Excommunicato non denunciato. (24. At jure novo Extravagantis *Ad evitanda* restricta sunt, ut monet Auctor, ad eos excommunicatos, qui expresse et specialiter, id est nominatim denunciati sunt, tum ad eos, qui notorie inciderunt in sententiam. (25. Excommunicationis latam pro sacrilega manuum injectione in Clericum, quamvis denunciati non sint.

(26. Hæc vero habet hic Zoesius in *Decre-*

tal. lib. 5. tit. 39. num. 108. « De posteriori (inquit) tantum est quæstio, quum in Extravagant. *Ad evitanda*, in d. Concilio Constantiensi non fiat mentio notorii percussoris Clericorum, sed generaliter notorii Excommunicati, qui talis est, ut nulla tergiversatione celari possit, ut non debent restringi tantum ad notoriam Clerici percussorem, sed uti verba citata a Navarro dict. tit. 27. num. 35. sonant, generaliter locum habere in quolibet Excommunicato notorio, qui celari nulla tergiversatione potest. Quod ipsum sensit Navarr. dict. loco. Sed consuetudine postea restrictam esse dictam Extravagantem ad percussorem Clerici notoriam. Alii tamen dictam Extravagantem aliter citant, pro his: Aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, legentes: Salvo si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incidisse, etc. Quam lectionem perique sequuntur tenentes, non alios vi istius Extravagantis excommunicatos hodie esse vitandos, quam denunciatos Clerici percussores. Estque consuetudine ista limitatio recepta, quum videamus passim Catholicos cum Hæreticis publice sine serupulo communicare, quos vitare hoc tempore vix foret possibile. »

(27. Quod attinet ad illos, quos priori loco diximus esse vitandos, disputari solet, num post sententiam specialem ab Homine latam, requiratur denunciatio? Negant aliqui innixi dict. Extravaganti *Ad evitanda*, quæ solum excipit Excommunicatos a Jure, vel ab Homine per sententiam generaliter promulgatam, quam vult ad effectum vitandi, talem a Jure publicari vel denunciari specialiter et expresse; ut videatur hunc effectum habere illa, quæ ab Homine est specialiter promulgata. (28. At sententia communior, et quidem probabilior est, etiam eo casu ad prædictum effectum requiri denunciationem, idque quia consuetudo, quæ est optima legum interpretis, ita sit interpretata dictam Extravagantem. Accedit, quod conveniat fini ejusdem Extravagantis; lata enim ea fuit ad evitanda scandala, et succurrendum timoratis conscientiis. Id autem contingit facilius posita opinione affirmante, quam opinione negante; quum sæpe non sit ita notorium sententiam excommunicationis esse latam, nisi publicata sit; Confer. Zoes. in *Decretal.* lib. v. tit. 39. num. 110. Hurtad. de *Excommunic.* disput. 2. diff. 3. num. 7.

(29. Quoad vero notorios Clerici percussores, duo concurrant oportet, ut ii dicantur notorii, adeoque sint vitandi; nempe et quod percussio Clerici sit notoria notorietate seu evidentia facti, et quod ea percussio minime possit apparenti aliqua ratione excusari. (30. De utroque vero consule Hurtad. de *Excomm.* disp. 2. difficult. 3. num. 9 et seq.

(31. An cum Excommunicatis non necessario vitandis communicari non modo in humanis, sed et in divinis possit; Vide Hurtad. de *Excomm.* disp. 2. difficult. 4. per tot.

ARTICULUS X.

De excommunicatione Canonis quoad suum esse, et intelligi.

(1. Excommunicatio Canonis sic appellatur ex quo lata sit in Canone 15. Concilii II Lateranensis sub Innocentio II. cap. *Si quis suadente* 29. caus. 17. qu. 4. per hæc verba: « Si quis suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. »

(2. Per ly *Si quis*, comprehenduntur omnes utriusque sexus personæ Excommunicationis capaces, unde etiam ad feminas extenditur, ipsæ enim si manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerint, hanc Excommunicationem incurrunt per Glossam in d. cap. *Si quis*, et exponitur cap. *Mulieres* 6. de *Sentent. excomm.* dum Episcopo committitur posse feminas absolvere, si manus violentas in Clericum, vel Monachum injecerint. (3. Per ly *Suadente diabolo*, denotatur quod ad incurrendam hanc Excommunicationem requiritur gravis injuria, et in ratione sacrilegii, peccatum mortale, ita ut hæc simul concurrant, et prava voluntas intendens Clericum, vel Monachum graviter lædere, et externus effectus, seu ipsa gravis læsio in rebus corporis, vel honoris ipsius, unde si unum ex istis deficiat, non contrahitur hæc Censura, quia Canon tria copulative ad hanc incurrendam videtur requirere, scilicet factum consummatum, dum dicitur manus injecerit, animum injuriandi, dum dicitur suadente diabolo, et violentiam, dum dicitur violentas manus, uti notat inter alios Sperellus decis. 54. n. 12.

(4. Per ly *manus violentas injecerit*, comprehenditur quælibet actio exterior injuriosa personam Ecclesiasticam, vel res ei ad hærentes violententer tangens sive immediate, sive mediate, sive fiat manu, sive pede, brachio, aut quovis alio instrumento capaci ad lædendum Clericum, vel Monachum, quia Canon utitur verbo *manus*, ex quo manus sit instrumentum magis aptum, et solitum ad exteriores violentas injurias inferendas, uti esset Clericum occidere, mutilare, vulnerare, percutere, eum violententer detinere in publica, aut privata custodia, eripere aliquid per vim, et injuriam de manibus, vel corpore ipsius, ut librum, pileum, aut vestem ei ad hærentem, ipsum conspergere aqua, pulvere, lapillis, eum persequi, ut in fluvium, aut fossam incidat, equo decidat, et similia; Glossa in d. c. *Si quis*, verb. *Manus*, et cap. *Nuper* 29. de *Sentent. excomm.* et in cap. *Si quis pulsatus* 13. 33. quæst. 3. Injicere manus violentas in equum, cui Clericus insidet, illum occidendo, vulnerando, percutiendo, aut detinendo; licet enim hujusmodi violentiæ Clerico illatæ graves non sint comparative corporis, sunt tamen graves, atque mor-

tales comparative honoris, qui contumeliose læditur, uti notavit Innocent. III. in cap. *Nuper* 29. de *Sentent. excomm.* (5. Per ly *in clericum* intelliguntur quicumque saltem primam Tonsuram ab Episcopo acceperunt, ut colligitur ex c. *Cum contingat*, de *Etate, qualitate, et ordine præfic.* (6. Sic etiam Clerici conjugati, si cum unica, et virgine contraxerint, Habitum, et Tonsuram deserant, et alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi ministrent; cap. unic. de *Clericis conjug.* in 6. Concil. Trid. sess. 13. cap. 6. de *Reform.* (7. Canonis autem privilegio non gaudet Clerici bigami, qui contraxerunt cum duabus, vel cum una corrupta; c. unic. de *Bigamis* in 6. (8. Item Clerici, qui dimisso Habitu, et Clericali Tonsura, negotiis sæcularibus se immiscerint, si ter ab Episcopo moniti non se emendent; cap. *In audientia* 25. cap. *Contingit* 451. de *Sentent. excomm.* (9. Item Clerici realiter degradati, et solemniter depositi; ex cap. *Degradatio* in 6. de *Penis* lib. 5. tit. 9. (10. Item Clerici se enormitatibus immiscerentes, id est si latrocinia, et seditiones iniquas perpetrent, si bella, et seditiones, in populo commoveant; cap. *Cum non ab homine* 14. et cap. *Perpendimus* 23. de *Sentent. Excomm.*

(11. Per ly *vel Monachum*, intelliguntur Omnes Regulares utriusque sexus; cap. *Cum illorum* 32. et c. *De Monialibus* 33. de *Sentent. Excomm.* (12. Etiam Conversi, et Conversæ, cap. *de Monialibus*, et cap. *Non dubium* 5. eod. tit. (13. Etiam Novitii, et Novitiæ; cap. *Religioso*, de *Sentent. Excomm.* in 6. (14. Item Tertiarii, et Tertiariæ mendicantium in Congr. et communitate viventes, ex Constitut. Leonis V incip. *Dum intra*. (15. Item mulieres Tertiariæ in propriis Domibus viventes, virginalem, et celibem vitam ducentes ex voto castitatis de Ordinarii licentia emisso, ex d. Constit. 22. *Dum intra* edita a Leone X. 1 Maii 1518. in Concil. Later. sess. 11. (16. Item, Eremitæ Habitum Eremiticum, ex legitima facultate deferentes, et sub speciali obedientia Episcopi, vel alterius Prælati alicui Ecclesiæ, vel Eremitorio in Communitate, vel separatim deservientes, isti censentur Personæ Ecclesiasticæ. Sic Glossa in cap. *Qui vere* 16. q. 1. verb. *Vero*, asserens quod, tales Eremitæ gaudent privilegio Clericorum, licet non renuncient propriis; Fagnan. cap. *Nullus* num. 61. de *Foro competent.* post Cardin. in Clement. *Per litteras*, num. 9. de *Præbend.* Innocentius cap. *Cum Monasterium* 13. de *Election.* dicens, quod licet Eremitæ possint habere proprium, quia non abrenunciant, tamen Ecclesiasticæ Personæ sunt; Anaclet. lib. 3. Decret. tit. 1. de *Vita et honestate Clericorum* n. 25. et multi alii. Vide verb. *Eremita* num. 13. (17. Item omnes illi, qui assumpto Habitu Religioso Monialium servituti sunt addicti, et pro illis elemosynas quærunt, et prope Monasterium earum more vivunt. Sic etiam Laici, qui Habitu Clericali incedunt, et inseruiunt Congregat. Presbyterorum, qui Collegialiter sub certo Superiore modo Religioso vivunt; sic Antonellus nu-

mer. 22. Matthæucci *Official. Cur. quoad excommunicationem Canonis* num. 10. (18. Felix *Potestas Minist. Sacram. pœnit.* cap. 3. num. 3560. et alii. (19. Item Equites S. Joannis Hierosolymitani vulgo dicti *Cavalieri di Malta*; ipsi enim emittunt tria Vota substantialia in Religione a Sede Apost. approbata, et sunt vere Religiosi, et si se invicem percutiant, Pontifex eis concedit, ut ab Excommunicatione hac de causa incursa absolvi possint ab eorum Priore Sacerdote; cap. *Canonica* 59. de *Sent. excomm.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(20. Num excommunicatio contenta in Canone hoc *Si quis suadente diabolo*. caus. 17. quæst. 4. sit lata an ferendæ sententiæ, non immerito dubitari potest. (21. Non ignoro, quod sæculo decimosecundo, quo in Concilio Lateranensi sub Innocentio II dictus Canon latus fuit, jam in Ecclesia erant in usu excommunicationes *latæ sententiæ*. (22. Sed formula illa: *Anathemati subjaceat*, qua usus est præfatus Canon, non videtur importare excommunicationem *latæ sententiæ*. « Hæc formula (ut recte ait Vanespen. *Jur. Eccles. univ.* part. 3. tit. 11. cap. 6. § 20.) non videtur magis latam sententiam importare, quam hæc: (23. *Sit Anathematizatus: Sit sequestratus*: quæ tamen, juxta Gloss. in cap. 2. de *For. competent.* verb. *Sequestratus*, non nisi Excommunicationem ferendæ sententiæ significat. »

(24. Cæterum Doctorum interpretatione, tum usu Fori, continet d. Canon excommunicationem *latæ sententiæ*, quod sane sufficit, nam ut inquit Paulus in l. 11. ff. de *Legibus*, « minime sunt mutanda quæ interpretationem certam semper habuere. »

ARTICULUS XI.

Quinam, ab incursu hujus excommunicationis excusentur vel non?

(1. Primo, ab incursu hujus Excommunicationis excusantur qui laborant ignorantia invincibili, tam juris, ut si quis invincibiliter ignorat, ob Clerici percussionem esse statutam Excommunicationem, quam facti, ut si quis ignorat, eum, quem percutit, esse Clericum, et si res deducta sit ad Forum externum, et de ignorantia ipsius dubitetur, sit ipse paratus etiam cum juramento suam ignorantiam probare; c. *Si vero* 4. de *Sent. Excomm.* Sic qui percutit Laicum putans esse Clericum, contrahit quidem malitiam sacrilegii, sed non incurrit excommunicationem, quia ut hæc incuratur, debet re ipsa, et non tantum in apprehensione, Clerico, vel statui Clericali irrogari injuria; Del bene sect. 21. num. 1. La Croix lib. 7. num. 322. et alii passim, arg. cit. c. *Si vero* 4. de *Sent. Excomm.* et sic de similibus; ut si quis ex conscientia erronea putet esse annexam censuram (quæ revera annexa non est) actioni, quam operatur, hic quidem gravius peccat, quatenus operatur contra suam conscientiam dictantem rem gravius prohibitam, at nullatenus incurrit censuram propter ra-

tionem allatam. Tum quia ignorantia invincibilis semper excusat ab incursu censura; textu expresso in c. *Ut animarum periculis* 2. de *Constit.* in 6. et concordat cit. cap. *Si vero* 4. de *Sent. Excomm.* et tenent Doctores communiter. (2. Secundo, excusantur qui Clericum percutiunt ad sui defensionem vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ; c. *Ex tenore* 10. hoc tit. et cap. *Significasti, de Homicid. voluntar.* lib. 5. tit. 12. ubi expresse habetur « Quamvis vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittant, tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. » (3. Tertio excusantur, qui fortuito, et subitanea ira, vel passione sine sufficienti deliberatione Clericum lædunt, ut colligitur ex c. *Si vero* 3. de *Sent. Excomm.* et tenent, expresse Glossa. ibid. verb. *Fortuito*, ubi dicit: « Tunc enim non imputatur, quia casus fortuiti prævideri non possunt. » (4. Quarto excusantur Clerici se ad invicem percutientes ex mero joco, et levitate, et non ex odio, invidia, aut indignatione, quia ut expresse habetur cap. *Super* 1. de *Sent. Excomm.*, « non potest in ipsis injectio violenta notari. »

(5. Quinto, excusantur percutientes Clericum vel Monachum inventum turpia agentem cum Matre propria, filia, sorore, et uxore, ut habetur expresse in cap. *Si vero* 3. de *Sent. Excomm.* Non excusantur autem, si occidant, vel percutiant non statim ac in crimine deprehendantur, sed post tantum temporis spatium, quo justus dolor sedari potuit, tunc enim non amplius licet; sicut nec excusantur, si data opera in loco occulto Clericum, aut Monachum expectant, ut possint in crimine reperit occidere, nec si peccantem cum aliis consanguineis inveniunt, ut definitur cap. *Si vero* 3. § *Ceterum, de Sent. excomm.*

(6. Sexto, Mulieres percutientes Clericum, vel Monachum pudicitiam suam facto tentantes; cap. *Si vero* 3. et cap. *Ex tenore* 10. de *Sent. Excomm.* Non excusantur autem si a Clericis solis verbis aggrediantur; tunc enim debent solis verbis repellere, nisi Clerici taliter essent molesti, ut mulieres se aliter liberare non possent, quam utendo fuste, verberare, pugnis etc. ut advertunt communiter Canonistæ in cit. cap. *Si vero*; et cap. *Ex tenore*.

(7. Septimo, excusantur percutientes Clericum privilegiis clericalibus a suo Episcopo privatum, vel publice exercentem Macellum, vel munus Tabernarii, vel artem mechanicam post trinam Episcopi monitionem; cap. unico, de *Vita et honest. Cleric.* Clement. 1. eod. titulo.

(8. Octavo, excusantur Officiales Laici percutientes Clericum involuntarie, et casualiter arcendo turbam, et omnes, qui ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, repellunt turbantes divina officia; cap. *Venientes*. 16. et c. *Cum voluntate* 54. de *Sent. Excomm.*

(9. Nono, excusantur Clericum percutientes correctionis causa, ut Magistri, seu Præcepto-

res, qui correctionis causa moderate castigant discipulos Clericos; c. 1. c. *Ex tenore* 10. et cap. *Cum voluntate* 54. de *Sent. excomm.* Item parentes, et Propinqui, qui disciplinæ gratia filium, propinquum moderate, seu leviter percutiunt; c. *Cum voluntate* 30. de *Sent. excomm.* (10. Circa hos tamen est advertendum, quod si Magistri, Patres, et Propinqui sint Laici, habeant solum jus corrigendi, et puniendi Clericos in minoribus constitutos, non autem in Sacris, et majoribus Ordinibus, sicut expresse, et clare definitur in d. cap. *Cum voluntate*, per præcisa verba: « Si quis vero ratione Officii, quod in Ecclesia obtinet, vel etiam alii Clerici Seniores zelo devotionis pueros, vel adolescentes in minoribus Ordinibus constitutos turbantes Divinum Officium, et qui obtentu prælationis, vel magisterii subditos, vel scholares correctionis causa leviter forsitan percusserint, Excommunicationis sententiam non incurrunt, quod de his dicendum est, qui aliquos de Familia sua, vel propinquos inferiorum ordinum simili modo, ut cohibeantur a suis insolentiis, et scientia, bonisque moribus informant, duxerint corripandos. » Et ratio est, quia nimis indecorum esset statui Clericali, et plurimum vilesceret Clericalis reverentia si laicis potestas corrigendi per verbera in Clericis in sacris constitutos concederetur, hæc enim est communior, quidquid dicant aliqui in contrarium ratione patriæ potestatis.

(11. Decimo excusantur præ ceteris Prælati Ecclesiastici, si correctionis causa Clericos, vel Monachos sibi subditos nedum in minoribus, sed etiam in majoribus Ordinibus constitutos juxta gravitatem culpæ castigaverint, dummodo id faciant per se, vel per alium Clericum, vel Monachum; dict. cap. *Ex tenore* et cap. *Cum voluntate*. (12. Si autem per Laicum fecerint, tam Prælati mandans, quam Laicus mandatum exequens, Excommunicationem incurrit; cap. *Universitatis* 24. de *Sent. excomm.* (13. In casu vero, quod necessitas urgeat, et Clericus, vel Monachus aliter quam per Laicos a facinore compesci, et capi non possit, aut consuetudo sit, ut Ecclesiastici per Laicos ligentur, incarcerentur, imo et torqueantur, tunc Prælati poterunt uti ministerio Laicorum ad ipsos sic puniendos, et a facinoribus compescendos absque incursu Excommunicationis; c. *Ut famæ* 33. vers. *Laici, de Sent. Excomm.*

(14. Non excusantur autem, sed *Canonis* Excommunicationem incurrunt, Primo nedum manus violentas in Clericum, vel Monachum, suadente diabolo injicientes, sed etiam id mandantes, dummodo effectus sequatur; cap. *Mulieres* 6. de *Sent. Excomm.* expressis his verbis: « Illi vero qui non per seipos, sed eorum auctoritate, et mandato alii violentas injiciunt manus in Clericos, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi; cum is committat verum, ejus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur. » (15. Et mandans hanc incurrit Excommunicationem, licet de mandato pœniteat, antequam suum mandatum fuerit effectuatum, nisi manda-

tum revocaverit, et de revocatione ante executionem mandati mandatarium serio monuerit. (16. Sicuti eam incurrit projiciens a tecto lapidem cum deliberatione occidendi Clericum, quamvis statim post jactum pœniteat, atque si posset, revocaret, quia quantum est ex parte sua operis prohibiti jam malitiam complevit; colligitur ex c. *Ad audiendam, de Homicidio*, et tenent Avila part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 7. conclus. 2. *Ægid. disp.* 12. dub. 15. numer. 163. *Confectius Summ. privileg.* tit. 14. can. 1. Layman. de *Excomm.* lib. 1. tract. 1. p. 3. cap. 5. num. 7. et alii passim.

(17. Secundo non excusantur illi, qui licet non mandent violentam manuum injectionem in Clericum, vel Monachum, suo tamen nomine, gratia, vel intuitu factam signo aliquo externo rati habent, ut expresse habetur cap. *Cum quis* 23. hoc tit. in 6. his verbis: « Cum quis absque tuo mandato manus injicit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a Canone incunctanter incurris. » (18. Non autem eam incurrunt si rati habeant talem violentiam factam, non suo, sed solum alterius nomine, ut aperte declarat idem textus: « Si vero injectio eodem tuo nomine non fuit facta, tunc licet pecces rati habendo eandem, non tamen propterea Excommunicationis ullius vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum. »

(19. Tertio non excusantur, qui Clericum vel Monachum etiam absque ulla læsione corporali recludunt, vel detinent in carceribus publicis, vel privatis; vel in aliqua domo, vel alio in loco injuriose, et violentè retinent, ne exire possint; et quo voluerint, libere progredi nequant, cap. *Nuper* 29. de *Sent. Excomm.*

(20. Quarto non excusantur consulentes, auxilium ferentes, consentientes, sociantes, cap. *Quantæ* 47. de *Sent. excomm.* et Clementin. 1. de *Pœnis*, ubi explicite inter reos hujus canonis enumeratur, « qui injuriose, vel temere percusserit, aut banniverit, vel hæc mandaverit fieri, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium in his dederit, vel favorem, » etc. Et de sociantibus homicidam etiam sine manuum injectione clarissime habetur cap. *Sicut* 1. de *Homicid. voluntar.* lib. 5. tit. 12. his verbis: « Illi autem, qui animo occidendi, ferendi, aut capiendi illum sanctum, ac Reverendum virum quondam Cantuar. Archiepiscop. citra manuum injectionem se fatentur venisse, si de illa captione mens ejus sequuta fuisset, pari pœnitentia, vel foro pari existerent puniendi. »

(21. Quinto non excusantur omnes illi, qui ex officio, vel alio titulo tenentur, et possunt sine suo gravi incommodo hanc violentam manuum injectionem impedire, et non impediunt, sicque tacite consentiunt, et permittunt, uti Superiores omnes sive Ecclesiastici, sive sæculares potentes impedire suos subditos ab his violentiis, et non impediunt; Parentes non impediunt filios, et Domini, et Officiales non